

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Doctrina siue doctor ap  
cum fonte primo

Sunt enim quidam qui

nulli arti quod suum est tribuere norunt,  
sed in singulis legunt omnes.

In grammatica de syllogismorum ratione disputant,  
in dyaletica inflexiones casuales inquirunt  
et, quod magis irrisione dignum est,  
in titulo totum pene legunt librum  
et incipit tertia uix lectione expediunt.

Non omnia dicenda sunt que dicere possumus  
ne minus utiliter dicantur ea que dicere debemus.

Hugo in didascalicon libro III.

sunt enim quidam, qui

licet ex his quae legenda sunt nihil praetermittant,  
nulli tamen arti quod suum est tribuere norunt,  
sed in singulis legunt omnes.

in grammatica de syllogismorum ratione disputant,  
in dialectica inflexiones casuales inquirunt,  
et quod magis irrisione dignum est,  
in titulo totum paene legunt librum,  
et 'incipit' tertia vix lectione expediunt.

non alios docent huiusmodi, sed ostentant suam scientiam. sed utinam quales mihi, tales omnibus apparerent! attende quam perversa sit haec consuetudo, cum profecto quanto magis superflua aggregaveris, tanto minus ea quae utilia sunt capere possis uel retinere. in qualibet igitur arte duo nobis maxime discernenda sunt et distinguenda, primum, qualiter oporteat de ipsa arte agere, secundum, qualiter oporteat ipsius artis rationes quibuslibet aliis rebus accommodare. duo sunt, agere de arte, et agere per artem. verbi gratia, agere de arte, ut est agere de grammatica, agere per artem, ut est agere grammaticae. distingue haec duo, agere de grammatica, et agere grammaticae. de grammatica agit, qui regulas de vocibus datas et praecepta ad hanc artem pertinentia tractat. grammaticae agit omnis qui regulariter loquitur vel scribit. agere igitur de grammatica quibusdam tantummodo scripturis, ut Prisciano, Donato, Servio convenit, agere vero grammaticae, omnibus. cum igitur de qualibet arte agimus, maxime in docendo, ubi omnia ad compendium restringenda sunt et ad facilem intelligentiam evocanda, sufficere debet id de quo agitur quantum brevius et apertius potest explanare, ne si alienas nimium rationes multiplicaverimus, magis turbemus quam aedificemus lectorem.

non omnia dicenda sunt quae dicere possumus,  
ne minus utiliter dicantur ea quae dicere debemus.

Hugo de sancto Victore, *Didascalicon de studio legendi*, 3.5  
(C.H. Buttimer ed., pp.55-6, ll.26-27, 1-26).